Theſes Medicæ

DE PROFLVVIO, IN GENERE,

QVAS

Auſpice Chriſto:

PRAESIDE CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO VIRO, D. ANDREA PLANERO ATHESINO, Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, eiuſdemque Profeſſore celeberrimo, Præceptore ſuo perpetua obſeruantia colendiſsimo:

publicè tueri conabitur

IACOBVS EBERSBERGER BAD. Auſtr. 6. Septemb. hora 7. in Aula noua.

TVBINGÆ.
Excudebat Georgius Gruppenbachius.
ANNO, M. D. LXXXIX.

ILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS DOMINIS:

D. VVOLFGANGO ET D. IOANNI ADAMO IÖRGERIS IN TOLET, &c.

L. BARONIBVS IN CREVSBACH, PRAEFECTIS ARCHIDVCATVS AVSTRIAE SVPERIORIS HAEREDITARIIS, SACRAE CAES. MAI. A CONSILIIS, &c.

Dominis ſuis clementiſsimis haſce ſuas Theſes

D. D. D.

Humilimus & obedientiſsim

Reſpondens.

THESES DE PROFLVVIO ALVI IN GENERE.

Theſis I.

INteſtina cùm organa ſint naturæ, per quæ non ſolùm primæ concoctionis expelluntur excrementa: Sed inſuper veluti communis quædam cloaca, in quam natura, quicquid ferè in toto corpore ſuperuacaneæ & excrementitiæ eſt materiæ, (ſiue illud ſit excrementũ concoctionũ, ſiue ex aliqua vitioſa contracta temperatura in aliqua particula, ſiue in aliquo genitum viſcere) poſſit, & ſæpe etiam ſoleat conijcere: ob idqúe variæ oboriantur fluxuum alui differentiæ: non abs re viſum eſt, de alui profluuio inſtituere diſquiſitionem quandam generalem.

2.

Per fluxum igitur alui in genere intelligi volumus eiuſmodi tractationem, quæ ὡς ἐν τύπῳ omnes, aut certè præcipuas profluuij, quod per aluum fit, complectatur ſpecies atque differentias.

3.

Fit autem, quia aliquid præter naturam occurrens inteſtinis, retentionem eorum ita lædit, vt materia per aluum ſenſibiliter & præter naturæ leges egrediatur.

4.

Vnde definiri poteſt, quòd ſit exiens mutatum materiæ corpulentæ morbificæ per aluum, à retentione inteſtinorum læſa procedens.

5.

Atqui exiens hoc cum varium ſit & multiplex, ad certum quendam ordinem, certaqúe reuocare libuit genera. Conſideratur igitur vel ratione ſpeciei, vel ratione vitij ſeu peccati.

6.

Species eſt vel cibus, vel quid à cibo procedens.

7.

Si cibus, aut crudus egreditur, & lienteria dicitur: aut corruptus, & cœliaca appellatur affectio. Vtraque affectio aut vlceroſa eſt, aut non.

8.

Si quid à cibo procedens: fit è cibo vel immediatè, vel mediatè.

9.

Si immediatè: eſt materia primæ concoctionis: quæ aut alimentalis eſt, & chyloſum: aut excrementitia, & fœcalem efficit fluxum.

10.

Si mediatè: eſt materia aut ſecundæ concoctionis, aut tertiæ.

11.

Secundæ concoctionis materia aut alimentalis eſt, aut excrementitia.

12.

Si alimentalis: eſt ſanguis, vnde ſanguinis excitatur profluuiũ: quo & cruenta deiectio, generaliq́ue voce dyſenteria dicitur. Eſtq; vel ἑλκώ-δης, *vel* μὴ ἑλκώδης.

13.

Ἑλκώδης, *vel ſemper eſt talis, vel non ſemper. Et ſi ſemper, eſt* δυ-σεντερία *propriè dicta: eaq́ue aut incipiens, quando mucus & pinguedo ſimul exeunt: aut progreſſa, dum partes inteſtinorum abraſæ, inſtar carn putridæ & ramentorum, egrediuntur.*

14.

Quæ non ſemper talis eſt, dicitur teneſmus. Hic enim aliquand cum, aliquando ſine vlcere eſt, & rectum occupans inteſtinum, perpetu ſtimulat excretricem ad expellendum. Ille verus, hic nothus dicitur tene ſmus.

15.

Μὴ ἑλκώδης *vel copioſa eſt, vel modica.*

16.

Copioſa eſt, in qua copioſè & affatim excernitur ſanguis: & vel à t to, diciturq; αἱματώδης: *vel à parte, à qua ſanguis aquoſus, loturæ carn um recens mactatarum ſimilis, exit. Modica eſt, in qua parcè exit ſan guis, & aut ſyncerus, aut alijs permiſtus humoribus. Vterque vel fluidus, v conſiſtens & grumoſus: & poteſt dici profluuium cruentatum.*

17.

Si materia eſt excrementitia: quandoq; humur eſt, quandoq; icho

Si hu

Si humor, dicitur διάῤῥοια humoroſa, ſeu profluuium communiter: quod pro varij humoris exeuntis diſcrimine modò pituitoſum, bilioſum modò, modò melancholicum, modoq; mixtum cognominatur. Si ichor, fluxus dicitur ichoroſus.

18.

Materia tertiæ coctionis ſimiliter aut alimentalis, aut excrementitia eſt. Si alimentalis, vt eſt pinguedo, humiditas alimentalis, fluxus fit, qui colliquatiuus appellatur. Si excrementitia, vel ſolius cerebri eſt, vt quando materia pituitoſa & mucoſa, defluens ad inteſtina, profluuium excitat, pituitoſum ſeu mucoſum dictum: vel aliarum partium, in quibus pus eſt genitum, & fluxum parit purulentum.

19.

Quòd ſi interdum etiam exeant lapides, vermes, & ſimilia: quia tamen nunquam, aut rarò certè excernuntur ſola, ſed ſemper alijs commixta materiebus, ab his potiùs fit denominatio.

20.

VITIVM exeuntis huius aut reſpectu formæ conſideratur, aut reſpectu accidentium: quæ ſunt quantitas & qualitas: hæc vel motiua, vel alteratiua.

21.

Reſpectu formæ peccat, quando id, quod egreditur, toto genere præter naturam eſt: & vel ſummæ, vel remiſſæ ἐνεργείας. Summa ἐνεργείᾳ prædita eſt materia venenata in febribus peſtilentialibus: vnde fluxus fit peſtilentialis: in lue venerea, & gallicus appellatur. Remiſſa, ſi ſanguis leui putredine infectus excernitur.

22.

Quantitate peccare poteſt, quando materia in maiori, quàm decet, exit copia, proportione ijs, quæ aſſumuntur, minimè reſpondens.

23.

Qualitate alteratiua peccat, vel prima, vel ſecunda. Prima, ſi fluxus vel calidior eſt, vel frigidior. Secunda, aut vt ad modum ſubſtantiæ pertinet materia, vt ſi fluxus ſit materiæ vel magis, vel minùs liquidæ, ſiue viſcidæ: aut vt ad ſenſuum obiecta refertur, vt ſi eſt huius vel illius coloris, odoris. Saporem, vt qui extra ſit dignitatem Medici, omittimus.

24.

Qualitas motiua tùm generatim, tùm ſpeciatim perpendi poteſt. Generatim,

neratim, vel ratione temporis ſeu durationis, vnde fluxus dicitur longus, vel breuis: vel ratione modi, prout tempeſtiuè mouetur, aut intempeſtiuè. Nam ſi intempeſtiuè mouetur, ſymptomaticus dicitur fluxus: ſi tempeſtiuè, criticus. Qui rurſus vel moderatus eſt, vel à mediocritate recedens: hícq; vel diminutus, vel ſuperfluus.

25.

Speciatim, ratione terminorũ motus, conſiderantur termini à quo, & ad quem, & præterea ſpacium per quod.

26.

Terminus à quo vel totum eſt, vel pars. Totum, vt fit in plethora, κακοχυμίᾳ, febribus, ὑπερκαθάρσει, & quandoque in χολέρᾳ.

27.

Partes ſunt vel cerebrum, & fluxus cerebralis: vel ventriculus, & ſtomachicus: vel epar, & epaticus: vel lien, & ſpleneticus: vel inteſtina, ſiue ſuperiora, ſiue inferiora, & inteſtinalis nominatur.

28.

Spacium per quod vel immediatum eſt, vt inteſtina: vel mediatum, vt vaſa, per quæ humor ad inteſtina confluit.

29.

Terminus ad quem idem eſt cum ſubiecto ſymptomatis, & aluus ſtatuitur.

30.

Efficiens cauſa eſt læſa retentio inteſtinorum: quæ læditur ob fruſtratam eius facultatem retentricem. Hæc autem bifariam fruſtrari poteſt: vel καθ᾽ ἀυτὸ, ſeu per ſe, quando abſque alterius vitio retinere nequit: vel κατὰ συμβεβηκὸς, ſiue ex accidenti, ob alterius facultatis fruſtrationem.

31.

Per ſe ſi fruſtratur, hoc euenit, vel quia læditur, vel ob errorem externum.

32.

Læditur autem quia labefactatur, aut quia impeditur. Labefactatur ob intemperiem frigidam & humidam tunicarum, & ita, vt vel auferatur, vt in lyenteria non vlceroſa: vel vt imminuatur, vt in fluxu chyloſo: vel vt corrumpatur, vt in cœliaca affectione.

33.

Impeditur ob morbos vaſorum, ſiue venarum, qui ſunt vel in mala compoſitione, vel in ſoluta vnitate.

34. Si in

34.

Si in mala compoſitione: hi vel ad poros pertinent, vel ad orificia vaſorum. Ad poros διαπήδησις, in qua pori venarum aperiuntur, vt in profluuio ſeu deiectione cruentata: & præterea in ſeroſa, loturæ carniũ ſimili.

35.

Si orificia vaſorum occupat, fit ἀναστόμωσις, quando recluduntur orificia venarum, ob ſanguinem vel copioſum, vel acrem. Copioſus generatur à calido & humido iecore, ex copioſis & bonis cibis, ſuppreſſa conſueta euacuatione, vt in δυσεντερίᾳ αἱματώδει. Acris ab epate calidiore & ſiccioreſit: eoq́ vel obſtructo, vnde diſtributio ſanguinis impediatur: vel non obſtructo, vt dum à natura eſt calidius, vt in diarrhœa bilioſa.

36.

Si ſoluta vnitas, fit διαίρεσις, cuius cauſa duplex eſt: alia interna, alia externa. Interna, materia mordax inteſtina abradens & exulcerans: vnde fit propriè dicta δυσεντερία, & aliquando etiam teneſmus. Hæc autem materia mordax poteſt eſſe bilis, ſanguis acris, pituita ſalſa, & ſanies. Externa, contundens, incîdens, frangens, rumpens, &c.

37.

Error externus eſt materia copioſior, quàm vt retentrix facultas retinere queat: vt in fluxu à plethora.

38.

Ex accidenti fruſtratur retentrix, vel quia expultrix, vel quia motrix detinendis excrementis deſtinata fruſtratur.

39.

Expultrix fruſtratur, vel quia læditur, vel ob errorem externum. Læditur ob morbum vel in ſoluta vnitate, vt in δυσεντερίᾳ ἑλκώδει, & teneſmo vero, in lyenteria item vlceroſa: vel in mala compoſitione, vt in iecoris inflammatione, quando obſtructæ ſunt venæ Meſaraicæ, quod aliquando contingit in fluxu chyloſo.

40.

Error externus ad cauſam vel internam vel externam referri poteſt. Interna cauſa eſt materia, quæ conſideratur ratione ſpeciei, vitij, & cauſæ illam generantis.

41.

Speciei ratione varia eſt hæc materia, & vel bilioſa, vel pituita ſalſa, vel atra bilis, &c. Vnde variæ diarrhœæ oriuntur ſpecies.

42. Ratio-

42.

Ratione vitij hæc materia, vel copiâ, vel qualitate peccare poteſt. Si copia, ſit profluuium copioſum. Si qualitate, vel euidente, aut ſalſa aut acri, vnde diarrhæa bilioſa, & pituitæ ſalſæ, & cholera: vel recondita, eaq́; venenata & putrida, & hinc fluxus peſtilentialis, & materiæ putridæ.

43.

Ratione cauſæ generantis dicendum eſſet de affectibus cùm totius, tùm partium: ſed ne aliud agere videamur, conſultò omittimus.

44.

Externa cauſa aut neceſſariò eſt occurrens, vt mutatio aëris, vnde profluuium Epidemium, 3. Aphor. 22. cibi & potiones acres & copioſæ, vt in diarrhœa & dyſenteria: tempus anni frigidũ, humidum, et aquilonium. 1. Epid. 2. 5. Aut non neceſſariò occurrens, vt pharmaca electiuè ducentia in copia maiore aſſumpta, vt in ὑπερκαθάρσει: item venena.

45.

Motrix facultas vel determinata eſt, vel communis. Communis fruſtratur ob affectus cerebri, φρενῖτιδα, παράλυσιν, &c. de quibus ſuo loco. Determinata fruſtratur, quando muſculus ani, ſphincter dictus, reſoluitur.

46.

Differentias, vt notas ex propoſitis in eſſentia, ne ταυτολογεῖν dicamur, lubens præterimus.

47.

SIGNA vel διαγνωστικὰ ſunt, vel προγνωστικά. Διαγνωστικὰ conſideranda tùm in genere, tùm in ſpecie. In genere malum hoc facilè cognoſcitur, quia ad ſenſum egredi cernitur.

48.

In ſpecie differentiæ formales & ipſæ facili negocio cognoſci poſſunt: nam ſi materia exiens ſit cibus, excerni videtur: ſimiliter ſi quid à cibo diuerſum.

49.

Vitium formæ è fœtore dignoſcitur. Qualitatis, materia ſi fuerit calidior, patientes feruorem percipient, quandoque etiam mordicationem, triſtemq́; ſenſum in eius exitu: ſi frigidior, horum nihil aderit: ſi viſcidior vel craſſior, huius vel illius coloris, vel odoris, patet.

50. *Vitium*

50.

Vitium in motu in genere an diuturnum ſit, vel breue, patet. Si criticus, conuenit, & facilè patientes ferunt: contrà, ſi ſymptomaticus: Sed præterea concoctionis ſigna in vrina deſiderabuntur. In ſpecie, ſi terminus à quo ſit Totum, præſens erit aut prægreſſa totius repletio, ſuppreſſa euacuatio conſueta, &c. Si pars, ex huius diſpoſitione præter naturam cognoſcere licet: vt ſi ſit cerebrum, ſuppreſſa erit conſueta materiæ pituitoſæ & per os & per nares euacuatio, exiens etiam erit ſpumoſum. Et ſic de reliquis ſtatuendum partibus. Terminus ad quem, vt & ſpacium per quod, per ſe manifeſta ſunt.

51.

Efficiens cauſa ſi ſit intemperies frigida, aderit læſa coctio, ciborum crudorum deiectio, morbi ventriculi frigidi, prægreſſa victus ratio refrigerans. Et ſi inſuper etiam humida, quæ aſſumuntur celerrimè egrediuntur.

52.

Si cauſa ſit morbus vaſorum, in genere à fluxu indicatur ſanguinolento. In ſpecie aũt ſi ἀναστόμωσις, *fluxus eſt ſine dolore, ſanguis copioſus, calidus, prægreſſus vſus balnei aquæ dulcis immoderatus. Si* διαπήδησις, *non aderit dolor, ſanguis erit exiguus, tenuis, & ſeroſus. Si cauſa ſit* διαίρεσις, *præſens erit dolor. Cauſa* διαιρέσεως *interna, ſi ſit pituita ſalſa, cognoſcitur ex deſtillatione à capite, etc. Si externa, hanc patiẽs indicabit.*

53.

Error externus, vt materia copioſior, è ſignis plethoræ cognoſcitur.

54.

Si cauſa ſit expultricis læſio ob morbum in ſolutione vnitatis, ſigna aderunt inflammationis & vlceris. Si ob errorem externum, hîc ſi ſit interna cauſa, materia ſecundum ſpeciem, vitium, & cauſam generantem conſiderata, partim ex antè dictis, partim ex aliorum tractatione morborum patet. Cauſa externa ex ægrotantis relatu.

55.

Si cauſa ſit læſio motricis: determinata ex inteſtinorum dignoſcitur vitijs. Si communis, è vitijs cerebri, vt phrenitidis, παραλύσεως, *&c. materiaq́ præter voluntatem & citra morſum egreditur.*

56.

Προγνωστικὰ *in genere quandoq́ ſalutem, quandoq́ mortem pollicentur, vt niſi ad differentias deuentum fuerit, certi nihil prædici poßit.*

57.

In ſpecie, ſi cibus egrediatur crudus, fluxus eſt ſatis periculoſus, quia

triplex adeſt vehementia, eſſentiæ nimirū, dignitatis et facultatis. Eſſentiæ vehementia adeſt, quia inſignis eſt à naturali ſtatu receſſus, cùm ſit cibus: vehementia dignitatis periculoſum reddit cibalem fluxum, quia ventriculus concoctionis primum inſtrumentū, & totius corporis quaſi culina, vehementer læditur: facultatis vehementia, quia vires debilitantur, ſi diu duret, &c. Contrà ſtatuendum, ſi fluxus fuerit fecalis.

58.

Imò in genere ſi materia ſit alimentalis, profluuium cenſetur periculoſius, vt ſi ſit ſanguineus fluxus, maximè verò colliquatiuus, quia in his membris inſignis eſt vehementia eſſentiæ. Sic quò materiæ, quæ deijciuntur, erunt ſynceriores, eò fluxus periculoſior, teſte Hippoc. 2. Aphor. 6. vbi deiectiones ſynceras aſſerit eſſe prauas, quia ſcilicet vires, vbi materia alimentalis euacuatur ſyncera, ex penuria deficiunt.

59.

Ita etiam ſi materia excrementitia fuerit ſyncera, non cum alia permiſta materia: vt ſi pituita excernatur ſola, vel bilis ſola, malum eſt prauum: quia ſyncera pituita inſignem frigiditatem, bilis ſyncera intenſum arguit calorem.

60.

Si materia excernatur putrida, aut venenata, eſt pernicioſum, potiſſimùm quia adeſt vehementia facultatis corpus regentis. At periculum intenditur, prout materia formâ peccans maioris vel minoris fuerit ἐνεργείας.

61.

Ratione quantitatis, quò maiori vacuatur in copia, eò profluuium maiori coniunctum cum periculo, quia adeſt vehementia & eſſentiæ & facultatis.

62.

In qualitate, prout materia eſt calidior, viſcidior, craſſior, peioris coloris & odoris: ita etiam intenditur periculum. Quod affirmat Hippoc. 2. Aphor. 14. vbi reſpiciens ad colorem, voluit hoc vitium eſſe magis vel minùs periculoſum, pro differentia colorum: vt ſi verbi gratiâ, fluxus ſit materiæ citrinæ, minùs periculoſus eſt, quàm ſi ſit viridis. Etſi fluxus viridis degenerat in citrinum, benè: ſi in nigrum, malè ſperandum.

63.

Huc pertinent plerique Aphoriſmi Hippocratis lib. 3. Coac. cap. 4. vt 14. Varia ſatarutaq; deiectio praua. Et ſequens: Ac tantò peior, quantò coloris eſt magis horrendi.

64. Si motu

64.

Si motu peccat, in genere criticus eſt ſalutaris: periculoſus ſymptomaticus. Vnde Hippocrates 2. Aphor. 25. inquit: Si quis anaſarca affectus incidat in fortem ventris fluxum, ipſi eſſe ſalutarem. Et 3. Coac. vlt. deiectio pura cum ſudore febrem ſoluit. Sic pro maiore motu & impetu periculum adaugetur ratione vehementiæ, dignitatis, aut facultatis.

65.

In ſpecie ratione termini à quo, prout hic eſt præſtantior, ita (cæteris paribus) periculum erit maius, vt verbi gratiâ, epaticus ſplenetico periculoſior: ſtomachicus inteſtinali. Ratione ſpacij inteſtina ſi ſint affecta ſuperiora, fluxum efficiunt peiorem, quàm ſi inferiora, per dignitatis vehementiam: illa enim his præſtantiora.

66.

Cauſa efficiens prout efficacior, ita fluxus periculoſior. Si enim in cauſa ſit humida intemperies, non autem in habitu, non ita magnum eſt periculum, quàm ſi ſit in habitu: nam tum ferè deſperandum, ob vehementiam eſſentiæ. Si cauſa ſit διαπήδησις *&* ἀναστόμωσις, *leuius cenſetur periculum, quàm ſi à* διαιρέσει *excitetur.*

67.

Si cauſa ſit vlcus expultricem irritans, vel inflammatio, variè prognoſticandum. Error externus, ſeu materia ſi admodum mordax ſit, vt ratione doloris animi deliquiū, aut ſingultum excitet, periculoſum. 4. Acut. 62. Si cauſa ſit læſa motrix, periculoſum eſt ratione dignitatis & facultatis.

68.

Huc pertinent etiam prognoſtica à vehementia rerum & ſecundum & præter naturam. Ratione rerum præter naturam, prout materia à naturali ſtatu magis recedit, pro eo etiam periculoſus magis fit fluxus, quia mali moris. Ratione rerum ſecundum naturam, ſi vires imbecilliores ſint, periculoſum eſt: ſic in tabidis fluxus alui ob virtutem debilem lethalis. 5. aph. 12. & 14. Sic profluuium poſt epatis ſcirrhum lethale. 2. ad Glauc. 1. Ratione ætatis fluxus alui (cæteris paribus) in ſenibus & pueris, quàm in florente ætate periculoſior: quia virtus in illis citiùs, quàm in his collabitur.

69.

Legitima cura INDICATIONIBVS *perficitur. Hæ autem non aliunde*

aliunde ſunt deſumendæ, quàm ex rei natura: quæ conſtat forma, ſubiecto, & efficiente cauſa. Ideo ab his tribus rectè hauriri indicationes ſtatuimus.

70.

Forma ſeu exiens mutatum ratione ſpeciei nihil indicat ex vſu artis, quia à ſua cauſa dependet.

71.

Ratione vitij: tota ſubſtantia eradicans: quantitas imminuens: qualitas prima & ſecunda per contrarium alterans, ſeu attemperans indicat. Motus vt conſideratur ſimpliciter, & præter naturam eſt, prohibens ſeu auferens hunc motum: ratione terminorum, retrahens. Fluxus criticus diminutus adiuuandus: ſuperfluus cohibendus.

72.

Materialis cauſa ſeu ſubiectum, cùm ſit aluus, ſui cuſtodiam, quod vniens eſt, & adſtringens, indicat.

73.

Efficiens cauſa retentricis læſæ, ſi ſit intemperies frigida, calefaciens: ſi humida, ſiccans indicat. Si διαπήδησις, denſans: ἀναστόμωσις, adſtringens: διαίρεσις, vniens. Si error externus materia copia peccans, imminuens.

74.

Cauſa læſæ expultricis ſi ſit vlcus, mundificans, cauitatem replens, & agglutinans. Error externus pro ratione ſpeciei, vitij, & cauſæ illam generantis, varia indicat præſidia: quæ vt aliena hic omittimus. Si motrix ob affectus aut inteſtinorum, aut cerebri, lædatur, indicationes ex horum affectuum doctrina patent.

75.

MATERIA PRAESIDIORVM *triplex eſt: Chæirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.*

76.

Inter chæirurgicas materias eſt venæ ſectio, quæ locum habet in profluuio alui, in quo ſanguis, vel vt cauſa principalis, vel ſine qua non, peccat.

77.

Principalis cauſæ rationem habet, dum ſanguis impetum habens ad inteſtina, retrahendus eſt: & præterea in profluuio ab inflammatione.

Cauſa

Cauſæ ſine qua non rationem habet, in fluxu ſanguinis alijs humoribus permiſto.

78.

Vſus & adminiſtratio eſt, vt non in magna copia, nec vna vice, ſed reuulſionis gratia, pluribus vacuetur vicibus. Et verò maximè feſtinandum, dum vires adhuc conſtant. Tandem reuulſioni ſtudentes ſuperiorem ſecabimus venam, vt iecorariam cubiti dextri. Si verò adſit inflammatio, Baſilica tanquam propior, gratia & reuulſionis & euacuationis ſecanda: Si non adeſt inflammatio, Cephalica tanquam remotior.

79.

Cucurbitulæ probantur vel ſcarificatæ, vel non ſcarificatæ. Scarificatæ, vt quæ vicem gerunt venæſectionis, virtute exiſtente imbecilla, varijs applicantur partibus pro diuerſo motu materiæ, & termino à quo. Idem de non ſcarificatis, vt & de frictionibus, & ligaturis, eſto iudicium.

80.

Materiæ Medicinales duo potiſſimùm reſpiciunt, cauſam nimirum morbificam, & virtutem.

81.

Materia morbifica cùm quantitate peccat, euacuantibus vtendum: cùm qualitate, attemperantibus: cùm motu, reuellentibus.

82.

Inter euacuantia probantur ea, quæ non nimium vacuant, & præterea robur addunt partibus: cuiuſmodi ſunt Tamarindi, qui vim habent euacuandi, attemperandi caliditatem materiæ, & nonnihil inſuper roborandi ventriculum & inteſtina: potiſſimùm verò infuſi cum roſis & ſantalis, quibus leuis ineſt vis adſtrictoria. Huius etiam generis ſunt pruna, & inde confectum Diaprunum: item Myrobalani: in materia quidem bilioſa citrini: in pituitoſa chebuli: in melancholica nigri. Præterea Syrupus roſatus ſolut. cum decoct. Santal. Nec omnino reijciendum Rhab. in materia copioſa, ſed immaturum, aut aſſum.

83.

Doſis horum medicamentorum non ſit ſumma: quia licèt quandoque ſumma ſit actio principaliter indicantis, ſeu materiæ copioſæ: virtus tamen prohibet. Debent exhiberi in forma potiùs boli, quàm potionis, cùm faciliùs retineantur ſolida, quàm liquida. Et exhibendæ ſtatim inter initia, dum adeſt indicans, & nihil prohibet.

84.

Attemperantia ſeu alterantia ſint talia, quæ ratione materiæ calidæ refrigerent, vt hordeum, Endiuia, cichorium, &c. ratione frigidæ, calida, vt Betonica, &c. Cauendum autem ſeriò, ne ſimul laxent, ſed potiùs adſtringant, ratione virtutis, qualia inter calida eſſe poſſunt, mentha, nuces cupreſſi, & ſimilia: inter frigida, roſæ, portulaca & cichoracia, &c. Abſtinendum etiam à ſyrupis, omnibusq́ dulcibus: ſed in horum locum ſubſtituenda viſcida, vt eſt Tragacantum, amylum, conſolida, plantago, &c. prohibetur acetum, 3. ratione vict. 34.

85.

Reuellentia triplicia ſunt: prout vel vomitum, vel vrinam, vel ſudorem mouendo id præſtant.

86.

Vomitoria, cauendum, ne fiant ex oleo, quod nimis laxum reddit ventriculum, cui poſtea compatiuntur inteſtina imbecilla: Fiant igitur ex aqua hordei, ex iure pingui cum ſucco raphani.

87.

Diuretica modò calida ſint, modò frigida, pro diſpoſitione corporis, & conditione materiæ peccantis. In frigidorum numero ſunt ſem. frig. maior & minor. præ cæteris verò ſem. Cydon. vt quæ non modò vrinam promouere, ſed & aluum ſtipticam reddere ſoleant, adſtringendo nim. proximas partes. Eſt & ſerum lactis capr. cum emulſ. ſem. Melon.

88.

Calida ſunt vel validiſſima, vt cantharides, elateriū, euphorbium, &c. vel mediocria, vt myrrha, artemiſia, cardamomum, &c. vel debilia, vt ſem. anethi, lini, calamenti, pulegij, petroſelyni, &c.

89.

Horum omnium vſus, pro diuerſitate vehementiæ materiæ morbificæ variatur.

90.

Sudorifera alia impellendo ſudores mouent, & calida ſunt, atque tenuis ſubſtantiæ, vt card. Benedict. fol. citri, Diptam. cret. calament. mont. & præterea fenicul. & petroſel. imò etiam cætera diuretica calida. Hæc enim (renibus adhibendo frigida & adſtringentia: reliquas corporis partes tractando frictionibus) ex diureticis hydrotica fiunt. Alia verò ſudores mouent alliciendo, vt eſt Balneum aquæ dulc.

91. Se

91.

Sed animaduertendum, ſi in corpore fuerint præſentia, quæ prohibent ualidiora, ſat eſſe vti attrahentibus, ſeu minùs impellentibus. Notandum *verò & illud, impellentia per os exhibenda, attrahentia eſſe applicanda.*

92.

Ratione virtutis, vt diſsipatur, vtendum adſtrigentibus: vt qualitate læditur, & dolor adeſt, anodynis.

93.

Adſtringentium Gal. 5. meth. 5. duplicem proponit materiam, vnam vehementem, pro fluxu copioſo: debilem alteram, pro minùs copioſo.

94.

Inter vehementia numerat Balauſt. hypocyſt. Rhu. obſon. Omphac. acaciam, gallas immatur. Malicor. cydon. myrtum, germina lentiſci & rubi.

95.

Inter debilia mannam thuris, corticem pini, ſigill. lemn. ſpinam Aegypt. hæmat. maſtich. Auicennas addit, vt ſummæ efficaciæ & vtilitatis medicamentum, caſeum antiq. ſed prius in aqua alterata cum adſtringentibus, ſemel atque iterum lotum vel coctum.

96.

In fluxu cruento nihil efficacius eſt ſpodio cum ſucco plantaginis. Et ſi fortaſsis pueri laborent fluxu, Auicen. probat ſaccharum frixum cum nu... bus, tempus adſtringentium eſt, quando vires fiunt debiles.

97.

Anodyna interdum humectantia ſunt, interdum frigida. Humectantia ſunt, quæ in minuunt ſenſum tactus vigentem in ſicco. A Galen. 12. meth. 1. recenſentur adipes, capr. hirc. Suil. ſuccus tragi, ceratum roſ. Idem præſtant ...a inteſtinorum, vſus omenti vel vituli, vel agni, vel ſuis, &c. Frigida ſi... t ex Hyoſc. mandrag. ſolatro, papaueris ſemine, & quandoque etiam ſucco, ſeu opio.

98.

Ratione vlceris proponenda eſſent mundificantia, cauitatem replentia, agglutinantia: ſed ne ſimus longiores, aliò remittimus.

99.

Viuendi ratio medicamentis ex analogia reſpondere debet: ita vt eo tem... e, quo vtimur medicamentis detergentibus, victus etiam talis ſit, vt ſunt ...deacea: quando adſtringentibus, cibus ſit alica cum granatis, cum Rhu. ...n. cum omphac. Idem de reliquis ſtatuendum exiſtimamus.

FINIS.